

www.e-rara.ch

**Omnium operum divi Eusebii Hieronymi Stridonensis Tomus
primus[-nonus]**

Hieronymus, Sophronius Eusebius

Apud inclytam Basileam, [1516]

Universitätsbibliothek Basel

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-150989>

Erasmus Roterodamus Divinarum Studiosis Litterarum S. D.

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

ERASMVVS ROTERODAMVVS DIVINARVM
STVDIOSIS LITTERARVM S. D.



Aud me fallit optime lector, in prima huius tomi serie, quædam a nobis esse relicta, quæ & stulticiam & balbutiem respiciant eiusdem impostoris, cuius nanias in hunc extremum huius uoluminis locum, uelut in sentinā reiecimus: nullo alioqui dignas loco, nisi quemadmodum ante sum testatus, humanius ac modestius esse dixissem, in hanc peccare partem: ut quædam residere pateremur, quæ merebantur abijci, quam ut quicquam loco moueremus, aliquo modo lectu dignum, uidelicet æquos imitati iudices, qui propensiores esse solent ad absoluendum, quā ad damnandum: Siue quod humanius est liberare periculo nocentem, quā insontem perdere: Siue quod præter meritum absolutus, rursus in ius uocari potest, ac pœnas dare legibus: Cum nō perinde cōmode succurri possit præter æquum damnato. Quæq; & illic censuris additis opinionē nostrā uerius quam sententiā indicauimus. Caterū hac in parte nihil omnino reperies, non dicam, quod Hieronymi dignitati respondeat: sed omnino dignum, in quo bonarum horarum ullam portionem collocet, qui uel pietatis studio, uel bonarum litterarum amore ducuntur. Verum hoc datum est quorundam imperitorū inuictæ pertinaciæ, qui quicquid semel insedit animo, nunq̃ patiuntur reuelli, stupidiōres quā ut ipsi recte iudicare queant, & iisdem præfractiones, quam ut alienæ sententiæ uelint accedere: quod quidem hominum genus, omnium extremum ac prorsus inutile merito iudicauit Hesiodus. Ego sane quoties ineptissimas hominis ineptias, & nugacissimas nugas mecum expendo: parum liquet utrū potius de beam admirari, huius ne scriptoris, quisquis fuit impudentissimam insaniam, qui fato quodā natus ad perdendos bonos authores, omneis uires, totum ocium, imo totius uitæ studium, in hoc unum contulisse uideatur, ut insignium uirorum eruditissimas lucubrationes, insulsiſſimis blateramentis contaminaret: an nostram magis oscitantiam, uel ut uerius dicam, stuporem, qui iam sæculis aliquot Hieronymi nomine, uiri doctrina, faciūdia, sanctimonia prorsus incomparabilis, legamus obscuri nebulonis nugas: in quibus nec ulla sententiarum grauitas, neq; uerborum cultus, nec lepos, nec argutia, nec eruditio, nec ullum deniq; sanæ mentis uestigium: sed temere utcūq; in buccam uenerunt effusa uerborum uolumina, rerum nullus delectus, Solœcismis, ac sordidissimis uerbis & nuper in culina natis undiq; referta omnia, Exclamationes insanæ subitaq; quas sic adhibet, ut prorsus intelligas histrionem personatum agere, non grauem & sanctum uirum ex animo loqui. Ita scilicet nobis hic rhetor Hieronymi refert epiphonemata. Quid multis? Sic notis omnibus discrepat ab Hieronymo, ut non sit facilius suam ab homine dignoscere, nisi qui sit omni sue stolidior. Et tamen hæc, o rem pudendam, Hieronymi titulum occupant. Verum ea res hinc euenit, quod bona pars hominum iudicio careat. Quid em̃ de tam excellentis uiri monumentis iudicent ij, qui linguarum omnium imperiti, ignari antiquitatis, in nullo scripti genere exercitati, in nullo bonorū authorū genere uersati, præter sophisticas ineptias nihil unq; didicerunt? Nōnulli rursus dū impendio candidi uideri student, dum inhumanum iudicant quicq; omnino reprehendere, dum quicqd semel chartis illitum fuerit, id nefas esse ducunt ullo pacto conuellere, rabularū ineptias, pro doctissimo rum hominum egregijs monumentis amplectūtur: & alba (quod aiunt) amussi legunt omnia. Quare fiat necesse est, ut dum intempestiua modestia, flagris etiam aut pistrino dignum nebulonē, ledere uerentur, in summos uiros existant cōtumeliosi: nimirum, quos illis æquāt, ut hic optimo iure possis illo uersu Hieronimo stomachari, ἐρδ' ἢ τῶν ἡμερ κακὸς ἢ δ' ἐ καὶ ἐδλός. Sunt alij qui sedulo quidem illi, sed parum prudenter Hieronymi gloriæ fauentes, ipsi sibi scientes dataq; opera occludunt oculos, ut quod cernant non uideant, quod audiunt non audiant, quod manibus tangunt, non sentiant, neq; quicq; putant interesse, cui ore, quæue ratione laudetur aliquis, modo laudetur. Cum Alexander ille Macedonum rex, non a quouis artifice uel fingi uoluerit uel pingi. Tum a quibusdam laudari, uituperari est, ut uere scripsit Seneca. Nec usque adeo gloriæ inops est sanctissimus Hieronymus, ut indocti blateronis mendacijs debuerit cōmendari. Sunt rursus, quibus non omnino deest iudicium, sed uix est credibile, quantum ualeat imaginatio persuasioq; si prior animū occuparit: idq; nō solū in uulgo, uerum etiam in eruditissimis magniq; iudicijs uiris. Sic quotidie falluntur oculi, sic populi totius aures olim Parmenonis suam requirebant, quæ quidē res & in prouerbiū deinde cessit. Non pigebit fabulas aliquot hoc referre loco, quo magis quod dico fiat perspicuum. Fuit olim iuueni mihi cum Petro Santeramo Siculo, homine non minus festiuo quam erudito familiaritas, in ædibus indyti uiri Henrici uulgarī cognomento de Bergis, episcopi Cameracensis, Is, uti referebat, cum Parisijs ageret, ludens huiusmodi scripserat epigrāma, ueluti τῆς ἡμέρας referens. Tempora fatalis quoniam sic limitis itis: Tristia concentu funera solor olor. Affinxerat titulum, Cygnus moriēs pro specu. Sub id adhibuit scribēdi pulchre peritū artificem: qui distichon hoc quā maxime posset ad imitationē antiquitatis pingeret, litteris aliquot data opera relictis mutilis, ceu iam oblitteratis uetustate. Carmen adornatū exhibuit Fausto Andreliño, qui multos iā annos illic poetice profiteretur. Addidit eam schedulā inter uetustissimas antiquitatis reliquias sibi repertam fuisse, uidelicet quod sciret hominē aspernaturū, si dixisset nudius tertius apud se se natū. Legit iterum atq; iterū Faustus, & difficile dictū, q̃ stupuerit, q̃ exosculatus sit, q̃ pene adorauerit doctam illam & inimitabilem antiquitatē. Nec finis nec modus admirandi antiquitatem, donec ipse Santeramus sui proditor, rem oēm in risum uerteret. Luit olim ad cōsimilem modū, Gulielmus Copus, immortale Basiliēsis urbis ornamentū, quæ talē prodiderit heroa, imo totius nostræ Germaniæ nūq; intermoriturū decus, Galliarū felicitas, quæ tanto uiro tot iam

PRAEFATIO IN TERTIAM SERIEM SECVNDI TOMI.

anis fruitur & utinā q̄diutissime fruatur, aulae regalis honestamentū, in qua apud regē regū omniū haud dubie principem, principē agit medicū: imo (ut quod est illo dignius dicam) totius orbis praesidium, qui rem omnium saluberrimam, nempe medicinam, inscitia profitentiū propemodum extinctam, eruditissimis suis lucubrationibus vindicat ac restituit. Is igitur ut est non solum integritate doctrinae singulari, verum etiam gratissima quadā morū festiuitate praeditus, sed quā bonū uirum nequaquā dedecet, cum in coena catinus appositus esset, diuersi generis olerum plenus, & forte fortuna complures simul accumberent medici, uulgo quoq; notissimam herbam delegit, quam graeci petroselinon appellant, apij genus. Medicorum, inquit, est herbarum formas & uires nosse. En adsumus tot medici: dicat qui potest, quod sit huic herbae nomen. Nemo ausus est pronunciare, quod omnes iam teneret persuasio, rarum aliquod ac peregrinum oleris genus esse, de quo uir tantus tam sollicitè percontaretur, donec ipse problema risu solueret, & accersitam culinā famulam, pro medicis respondere iuberet. Ea nihil contata nomē addidit. Iam tertiam quoq; fabulam accipies, sed *ἀνώνυμον*, Cuidam apud Italos inter primos erudito, in manum dedit nescio quis, paginam e codice quopiam reuulsam, sic ut nullus esset titulus, qui proderet authorē. Qui tradiderat admonuit, sibi uideri recentioris cuiuspiam scriptoris opus esse. Erat autē is ex istorum numero, qui studio fauoreq; uetustatis, omnia neoterica fastidiunt. Ibi protinus offensus homo spurcicia sermonis, ut tum quidem uidebatur, multa conuitia congeffit in barbarum scriptorem, qui tam indoctis nugis miseras perdidiisset chartas. Nec modus aut finis irridendi, donec alter ostenderet, id quod tantopere dannasset, fragmentum esse Ciceronis. Agnouit admonitus, & risit homo doctus, tantam ex imaginatione delirationem. Tantū ualet in eruditis quoq; praesumpta persuasio, nec alia res in iudicando magis uel auit uel adimit oculos. Quo minus mirandum, si nobis idem usu uenit in Hieronymo. Videmus in singulis paginis ascriptum Hieronymi titulum: uidemus admixta his, quae citra controuersiam Hieronymi sunt. Audimus haec passim citari, legi, cani Hieronymi nomine. Cū hac persuasione ad legendum accedimus. Verū q̄ uel leuiter admonitus fuerit, statim animaduertet errorē suū. Iāq; uelut experrectus, quasiq; subito redditis oculis, tam profundā hallucinationē suā ipse demirabitur. At illud magis & stomachor & admiror, quid tandem in mentē uenerit, siquid omnino mentis habuit impostor ille, ut nō unam aut alteram epistolā, sed ingentia multaq; uolumina, titulis alienis pderet in uulgus. Nec em̄ hunc lusum lusit dū taxat in Hieronymo, uerū eiusdē artificis sunt illae Augustini nomine homiliae ad fratres Eremitas, & aliae rursus, quas inscripsit de tempore, pauculis aliquot exceptis. Has casus ne admiscuerit incertum est, an (quod magis arbitror) illius ars: hoc nimirum ingenio, quo mentientes assolent, ut magis fallant, uerū nō nihil admiscere falsis. Quod & apud Maronē facit Graculus ille Sino. Eiusdē est oratio Ambrosij Mediolanensis episcopi nomine, qua Christianae plabi baptizatū Augustinū gratulatur. Nec his contentus, mei dijs enarrationibus, quas diuus Hieronymus in pphetas & in psalmos addidit, suas ineptias intermiscuit, id quod alias locis aliquot nominatim proditis, docebimus. Nam eundē fuisse cuculū, uox ipsa palam arguit. An ita putandū est inter tam innumera infaniae genera, quibus humanū laborat genus, hūc illius fuisse morbum, ut felicem sese crederet, si consequi potuisset, ut orbe decepto, nebulonis ineptiae, tantorū uirorum titulis celebrarentur. Sunt em̄ quidā sic ad imposturam nati, ut uel gratis, imo suo quoq; malo gaudeant fallere. Tanta est imponendi libido. Ipse interim legentiū errore frueretur, atq; hanc uoluptatē tot laboribus bene putaret emptam. An magis cōiiciendū est fuisse, qui suis scriptis sacros illos doctores uoluerit illustrare, simulq; pietati cōsulare. Atq; id quo facilius assequerē, gratiosi nominis titulū praeuulsi se. Verū quid aliud est si hoc nō est, maculam & labē aspergere uiris suapte uirtute clarissimis: siquis tā in falsas ineptias illorū titulis traducat. Deinde cū quā praecipit, eius sint generis, ut eadē a quauis muliercula dici possint: quorsum opus erat, tam insigniū cōmendatiōe nominū. Si noua & paradoxa prodidisset, quae tamen ad pietatis studiū magnopere conducerēt (tametsi mea quidē sententia, nec mendacijs ornādi sint sancti, nec mendacio cōmendāda pietas), tamē fortasse tolerari poterat fucus, quo & ueteres illos Christianos sapius usos fuisse constat, qui iuxta Platonis & Origenis opinione, mendacium nō improbant, quod ad magnā aliquā reip. utilitatē adhiberē. Sed adferam ipse meā coniecturā, & quod uero proximū esse uideat, simpliciter aloquar, hac lege, ut nihilo secius liberū sit suū cuiq; sup hac re iudiciū. Apparet fuisse quēpiā ex hoc hominū genere, quos uulgus partim Augustinenses, partim Eremitas uocat. Si quidē isti instituti sui originē, quo uidelicet antiquitate sit cōmendatiū, ad Eremitas diui Augustini referri uolunt. Videmus autem ante ducentos ferme annos, totam describendi libros, praesertim sacros, prouintiam, in monachos & monachas fuisse relegatam, adeo ut hodieq; complures extent consecratarum uirginū manu descripti, uel picti magis codices: idq; factū est, ne tā ingēs hominū turba, uel gratis alerē uel ocio corūperetur, neq; rursus sordidis uulgariū opificū operis occuparē: quod id religionis p̄fessioe parū dignū uideretur. Inter hos tum fere indoctos, opinor scilicet & ardelione fuisse quēpiā, qui describendis libris nonnihil obiter arripuerit eruditionis. Nā loquacitatem indiderat ipsa natura. Eū laborasse morbo, quo uidemus & hodie teneri non paucos, mei similes, qui cū scribere nesciant, tamē a scribendo temperare non possint. Is partim, quo quāstus esset uberior, ex accessione semper nouorū uoluminū, ut quae illi domi nascerētur: partim ut suā professionē hac arte redderet plabi cōmendatiōe (mirū em̄ est dictū, q̄tū ambitiosum sit huiusce rei studiū in toto hoc hominū genere) uidelicet laudatissimorū uirorum titulis ad eā rem est abusus. Et idcirco in Hieronymi uita, quā nos in extremo huius ordinis calce subiecimus, idē tidem inculcat illū Eremitā fuisse, quo tā inclytum uirum suo assereret gregi. Deinde tot lepidissimas scilicet homilias addidit, ad fratres Eremitas Augustini titulo. Cū omnes ferme ueterū contiones nō in tractatis cōmunibus locis, sed in exponēdis diuinis litteris uersari soleant. Postremo quod est omniū ueneratissimū, orationem finxit Ambrosij nomine: cuius initū est: Quod his diebus contigit fratres charissimi: in qua

in qua Christianae gratulae religioni, de tanti militis, nempe Augustini, accessio: miroque artificio illud agit homo suavis, ut in ipso statim baptismo diuus Augustinus, nigram cucullam, & baltheum coriaceum ab ipsis Ambrosij manibus sumpsisse putetur: nimirum eius professionis insignia, ut totum etiam Augustinum suo vindicaret ordini: eumque cingulum a Simpliciano donatum affingit. Ad haec de hymni uicissim decantati fabula meminit. Postremo uaticinatur futurum, ut ex Augustino multae religionis constitutiones nascerentur: cum Ambrosij temporibus nemo religionis uocabulum in eum sensum usurparit, quo nunc uulgo utitur illitteratus. Vt ne dicam interim, quod ipsa tam diligens historiae inculcatio, de disciplinis citra praepreceptore perceptis, de Monicae lachrymis, de Simpliciano, de Adeodato & Alipio, affectata imposturae suspitionem habet. Quoadmodum eleganter Quintilianus parietem undique palmis cruentatum, ceterasque nimirum consentientes coniecturas, in ipsam retorquet noueram. Atque haec quidem studiose lector, tamen si mihi quidem coniectura uehementer probabilis ac propemodum certa uideatur, tamen haud est animus super hac re cum quoque digladiari. Nec enim ita magni refert, quis fuerit huius actor fabulae. Certe impudentissimum fuisse rabulam & sacrilegum impostorem, ipsa res indicat. In confesso est illud, quisquis fuit, hoc affectasse, ut nunc Hieronymus, nunc Augustinus, nunc Ambrosius, nunc Cyrillus, nunc Eusebius, nunc alius atque alius uideretur. Vertumnum quendam aut Empusam Proteumque referens, & cum sit idem, alia atque alia specie nobis occurrens. Idque cum nec eloquentia possit assequi, homo infantissimus: nec eruditione, illiteratissimus: nec pectoris sanctimonia, circulator: quod erat in proclui, fictis titulis rem agit. Hieronymum se uisum iri credit, si sapientule nominet Paulam & Eustochium: Augustinum, si plus uicies in singulis paginis iteret, fratres charissimi, quod aliquoties his uerbis ille sit usus. Sed astutus admiscet nonnihil ex historia, quod quidem facit etiam in hominibus ad Eremitas: uerum adeo coacte frigideque, ut facile suboleat mendacium, & continuo succurrat illud Ciceronis: Nisi fingeres, non sic ageres impostor. Ceterum in regula uirginum, quam scripsit iam centenarius, totas hic furcifer hebdomadas uersatur inter angelorum choros: & affatim cum diuina triade confabulatus, tandem in terras deuolat, iam uates factus ac futurorum praescius. Quid hac impudentius hypocrisis? Imo quid magis impium? Nam longe alium fuisse, quam uideri studet, primum ipsa prodit inscitia, deinde prodigiosa sermonis balbuties, plurimis sordidissimis & horum temporum uocabulis inquinati. Atque hic est certissimus index, & lydius (quod dici solet) lapis. Nihil enim hic succulentum, nihil exactum, nihil elaboratum inuenies: sed tumultuariam modo uulgarium uerborum & ineptissimarum sententiarum congeriem. Iam & illud plane coarguit hominem, quod cum plurimum intersit inter Hieronymianam, Ambrosianam & Augustini dictionem, apud hunc eodem orationis filo loquuntur omnes, atque ille quidem coccycis in morem, subinde alijs atque alijs conuetsus plumis sese ostentat: at cantum illum suum natium mutare non potuit infelix, & uelut histrio uaria tectus persona, subinde alius nobis prodit in proscenium: sed uox semper eadem, eadem gesticulatio prodit subornatum. Nam & Cyrillus qui Graece scripsit, apud hunc latine loquitur, nec aliter loquitur, quam Augustinus aut Hieronymus. Nimirum declarauit fallendi studium sibi non defuisse, cum deesset facultas. Ac cetera quidem ipsa causa praestabit aequitas. Vnum illud precibus meis lector donet uelim, ne quid obstrepat nostro iudicio, ne reclamet, ne tumultu misceat omnia, priusquam attentius, quae reiecit perlegerit. Si in his quae diui Hieronymi titulis insigniuntur uel unica periodus inueniatur eo uiro digna, non obstitam, quo minus oia Hieronymo transcribam. Sin totus sermo a capite, quod dici solet, usque ad calcem, sic cum omnibus Hieronymi dotibus pugnat, sic omnibus dissidet notis, ut plus conueniat homini cum camelo: quae malum dementia est perpeti, ut cum summa & tanti uiri, & studiosorum omnium contumelia, fictis titulis ista uenditur. Bene res habet, quod tali animo non contigerit eruditio. Deum immortalem, Quid si huic impostori, uel me diocris accessisset eloquentia, si uel tantillum eruditionis & ingenij, ut quaecumque simulacrum Hieronymianae dictionis effingere potuisset? Quis ausurus erat haec iam recepta conuellere? Nunc praeter titulos adeo nihil potest imitari eorum, quorum personam sumit, ut qui credat, non ab illo, sed a suo ipsius animo deceptus esse uideatur. Quot dotes praestandae sunt ei qui Hieronymus uelit haberi? Habet Augustinus, floridum quiddam & picturatum, atque ut ita loquar Punicum, habet argutiam non iniucundam, habet sua schemata, quibus se delectatum ipse fatetur in opere cui titulus, de doctrina Christiana. Diuus Ambrosius acumen quoddam e schola declamatoria refert, tacitis ac crebris titillat allusionibus. Ex his notis tantum abest, ut quicquam potuerit adumbrare noster histrio, ut nec semilatinam exhibeat orationem, ut nec cordatam, nec sanam. Et tamen homo perfrictae frontis non dubitauit insulsiis blateramentis excellentium uirorum titulos praefigere. Tantum illi addidit fiducia, mortalium uel inscitia, uel oscitantia. O sacrilegum caput, cui id tantopere studio fuit, ut sacras tantorum uirorum lucubrationes suis conspurcasset ineptijs. O spem improbam, qua sibi promisit futurum, ut haec indoctissima delirameta, coelestium doctorum titulo circumferretur. O lethargum nostrum, quorum oscitantia factum est, ut huic impostori tam impius conatus successerit, totque iam annis insulsiis naniae, excellentissimorum heroum nomine legantur citenturque. Neque uero quicquam haec contumeliosius a me dici putabit. Non est enim contumelia detrahare personam histrii, sed pium est, sanctissimos uiros simul & studiosum lectorem ab indignissima contumelia uindicare. Non est contumelia perdere sacrilegum, sed officium est excellentium hominum famam consulere. Non est hoc truncare Hieronymum, sed aurum plumbo uisatum repurgare. Nec amat Hieronymum, nec intelligit Hieronymi dotes, qui nugae eius modi illius legit nomine. Plusquam caecus est, qui haec non perspicit: plusquam impius qui cum perspiciat, ferre tamen potest. Semp inter sacras res habita sunt eruditorum monumeta, atque hac gratia ueteres illi libros immortalitate dignos cedrina conditos capsula, in Apollinis templo reponere consueuerunt. Authorum imagines in bibliothecis reponebant, ac nunc quoque Ciceronis bibliotheca, Puteolis ceu res sacra dicataque uisitur. Quanto magis nobis sacras esse conuenit diui Hieronymi lucubrationes, quae iuxta commendat & eruditio singularis, & rara uita sanctimonia? Quae ita Romanus orbis summum habet theologum, ut habeat pene solum.

PRAEFATIO IN TERTIAM SERIEM SECVNDI TOMI.

Sacrilegij genus habetur, parū reuerenter attrectare sanctorum reliquias, puta cingulum Annæ, aut calicem Edmondi, Georgij pectinem, aut calceum Thomæ. Hæc quoque uenerabundi exosculamur, oculis admouemus. Quantum igitur debetur religionis, tam diuini uiri litteris, quæ nobis nō pileum illius exhibent aut strophium, sed uiuam & adhuc spirantem pectoris imaginē, unde Christi spiritus inhabitator ea mundo prodidit oracula. Exhibent nobis apices illi muti, quod uiuum Hieronymi corpus nō exhiberet. Quid enim magni sit hominis figurā intueri? Hic hic arcanum illū mētis habitū intueor, hic mihi quod in illo fuit optimum superest. Hic mihi totus uiuit Hieronymus, docens, exhortans, cōsolans, ac ueluti de sui pectoris igni inflammans ad pietatē. Hæ sunt uere sacrosanctæ diuini cōfessoris reliquiae: quas illotis pedibus simul ac manibus, contaminare, conspurcare, adulterare, ac modis omnibus prophanare, nonne summa uideatur impietas? Omnes inexprimibile facinus clamitent, si quis Sardanapali cineres, pro diui Iohannis cineribus exhibeat osculandos. At longe grauius piaculum est, nebulonis indocti nanias, pro sanctissimi doctissimiq; uiri monumētis in uniuersam ecclesiam inducere. Nam illic quidē aut nihil, aut non multum ledit error: cum affectum non factum in hisce rebus soleat imputare diuina bonitas. At hic deceptus, pro salutaribus præceptis, hypocrītæ somnia in animum traiciō. Nemo non summā ducat esse impietatem, si quis sancti Francisci tunicam in cœnū abijciat, ac pedibus conculcet. At quanto irreligiousius, salutare optimi uiri lucubrationes, admixtis obscuri nebulonis nugamentis, deprauare, profanare, corrumpere? Hirenæus, Eusebius, Ruffinus, cūq; his alij complures, si quando uolumen aderet in uulgus, per omnia sacra scriptorē obtestabantur, ne quid immutaret, ne quid adderet, ne quid pratermitteret: sed quod in exēplari repperisset, bona describeret fide. Quod nam igitur hoc tam impium sacrilegij genus, omnes sacrosancti uiri libros, utcunq; lubuit, truncare, augere, miscere, uitare, tollere, supponere, nec aliter in hos, quam sus solet in segetem, debacchari? Ipse profecto qui nihil sum, non solum ad Hieronymum, uerū etiam ad mediocres, tamen haud ferendam contumeliam mihi factam putarem, si quis eiusmodi nanias meo prodat nomine, cuiusmodi impostor hic attribuit Hieronymo. Tam multæ sunt principum & pontificum cōstitutiones, de rebus pene nihili. Sup hoc negotio quo non aliud magis pertinet ad hominū uitam uel instituendam, uel corrumpendam, nulla cautio, nulla exactio, nulla poena: sed quicquid librarijs libuerit, idem licere sinimus: neq; secus atq; medici & pharmacopolæ, quodcūq; nomē herbæ dixerit anicula quæ attulit, hoc accipiunt, & egrotis ministrant: ita nos quocūq; titulo librarij librū euulgarint, eo legimus & amplectimur. Quod quanto cum periculo fiat, uel hinc estimes licebit. Comprobatus est tum omniū consensu, tum pontificū authoritate diuus Hieronymus. Proinde fieri potest, ut huius titulo rabula quispiam pestilentes opiniones suas in uulgus disseminet. Quod si Hieronymo refragari nō licet, & illius esse censetur, quicquid huius præfert titulū, futurū est ut uel impius habeatur qui re clamet, uel uenenum hauriat pro remedio, qui legerit assentiens. Nunc restat unus ille scrupulus eorū, qui plus operæ contriuerūt in sophisticis contentionibus, q̃ in euoluendis bonis authoribus. Hi forte cauiliabuntur nimis audacter a me reiici quædā, e quibus tamen permulta citat Gratianus in pontificum decretis. Respondere poteram quæadmodum & ante sum testatus, opus illud usu modo scholasticorū receptum. Nec enim ullis constat argumentis, quis fuerit Gratianus, quo tēpore suū exhibuerit opus, cuius pontificis, cuius cōcilij fuerit authoritate comprobatū. Nam ea quidē fabula, quæ de palea iactatur in scholis, prorsus affinis uidetur illi, quæ de permutatione Diomedis & Glauci, deq; legibus a Græcis petitis fert in Pandectarum glossematīs. Deinde in tam confusa rerum congerie, cum interm̃ uelut a disputante purgnantes sapenumero sententiæ recitentur, non continuo pro oraculo cōuenit accipi, quicquid ibi scriptū offenderis. Primas illic tenet Isidorus, ac summīs de rebus pronunciat homo grammaticus. Nihil enim is aliud (quod æquidē sciam) scripsit: & ita grāmaticus, ut a grāmaticorū quoq; collegio reiiciatur. Ac mihi quidē uidetur is quisquis fuit, siue Gratianus, siue Crassianus, hoc potissimum consilio ueterem illam decretorū collectionem antiquare noua uoluisse: ut Isidorum suū conterraneū opinor, & alios quosdam recentiores nobilitaret, Nam Bedam inter eruditos numero. Hoc eam ob causam admonui, ne cui mirū uideatur, si quem librum Hieronymi nomine citat Gratianus, qui non sit Hieronymi, uidelicet homo sæculo natus infelicissimo & ueteris litteraturæ prorsus rudis & imperitus, adeo ut sapenumero cum ex Hieronymianis cōmentarijs citat testimonia: siquid incidit, quod uel ob antiquitatem uel grācitātē admixtam minus intellexerit, transfiliat, cum ea magis etiam ad rem pertineāt. Postremo labi potuit sumus pontifex, hallucinari potuit summū pontificis cōsiliū, in his inquā, quæ ad fidei necessitatem nō pertinebant. Nec enim cōtinuo periclitatura sit Christiana religio, si quis euāgeliū Marci, Petri titulo legere malit, a quo nonnulli dictatū existimarūt: aut Pauli ad Hebræos epistolam Clementi malit asserere. Rem potissimū approbauit ecclesia: de authore non reclamans quidē, sed neq; digladians. Ad hæc multa passim irrepūt in publicā cōsuetudinē, episcopis uel inscijs uel cōniuentibus, quæ deinde, quoniā extorqueri uix possūt, publicis cōdonant affectibus, & tolerant uerius q̃ approbant. Atq; utinā tantū esset ocij Romanis pontificibus, ac cæteris episcopis, ut in his quæ ad Christianā pertinet eruditionē, tantū studiū curaq; possent impendere: quantū & ipsa meretur res, & publica flagitat utilitas. Hoc loco sentire puto cordatū lectore, qd reticeā, ac tacitæ cogitatiōi relinqū. Siquidē expedit nōnūq; & uera tacuisse. Ad hæc ut repetā quod iam superiore præfatiōe diximus, nō hoc agebatur id tēporis a Gratiano, cuius essent ij libri quos citat, Hieronymi ne, an alterius, sed quod ad argumenti propositi probationē facere uisum est, in reliquū agmen ascripsit. Et quoniā iureconsultis titulo citare mos est, eū addidit, quem forte repperit in codice. Quæadmodū & diuus Hieronymus, opus ad Herennium, Ciceronis noīe citauit. Atqui si hac de re incidisset disputatio, nō dubito, quin negaturus fuerit a Cicerone pfectū. Nisi forte quoties apud eūdē Gratianū deprehēdimus Hieronymi noīe citata, quæ sunt Origenis: aut Cypriani titulo, quæ sūt Augustini: id quod

quod in multis accidere palam est. Aut cum offenderimus in Catalogo scriptorum pro Iuueno subditū Vincentium, aut aliud simile: quod uel auctoris errore, uel librarij commissum sit incuria: protinus actū putabimus de fide deq; autoritate totius uoluminis. Proinde quod ista semouimus, nihil opinor attinet ad fidei Christianae ueritatem, sed ad Hieronymi gloriam pertinet, in quem indignum erat huiusmodi conferri nātas, quem uirum haud conueniebat a tali preconio laudari: pertinet ad studiosorum utilitatem, quos passus non sum, pro doctissimis optimi uiri scriptis, insulsa obicuri nebulonis blateramenta legere. Porro quod audio quosdā inepte meticulosos obijcere, si in receptis sanctorū doctorū uoluminibus alij qua cōuellant, periculū fore ne diuinā scripturā uacillet autoritas: etiā si nihil ad hāc rem ptineat, tamē nō alienum fuerit paucis refellere. Nec em̄ hic de diuinis agitur litteris, sed de libellis falso inscriptis Hieronymo. Quod si maxime ageret, succensere conueniebat, non ei qui falsitatē coarguit, sed qui admisit. Etenim quo quicq; sacratius est, ac propius ad Christianam attinens pietatem, hoc sceleratius est uitare, quod scriptū est. Rursum quo grauius crimē corruptoris, hoc magis amplectendū officiū restituētis. Nō hoc est falsitatē inducere sacris litteris, sed excludere. Nec ob id periculū est, ne minoris fiat aurū, si fuerit ab aurifice repurgatū: aut ne abijciatur gēma, si q̄s adulterinas & factitias semouerit. Imo hoc certior erit diuinā scripturā autoritas, si nihil in ea uel subditiciū, uel mendosum residere patiemur. Nisi forte nūc non credimus quatuor euangelij, quod reliqua ueluti fabulosa damnauit ecclesia. Aut metuendum est, ne mundus uniuersus desciscat a Christo, si quid in arcanis litteris indicaro, uel ab indoctis aut supinis librarijs deprauatū, uel a dormitante interprete parum cōmode redditum. Nihil credit qui quiduis credit, ut q̄ nō iudicio, sed animi credat leuitate. Nemo uerius credit euāgelij, q̄ qui nō omnibus credit euāgelij. Nemo plus defert sacris libris, q̄ qui a uere sacris secreuit apocryphos. An is tibi uidetur honorem habere Hieronymo, qui nolit Hieronymū a nebulone dignoscere? Plinius ita demū credit placuisse librum, si quadā displicuerint: usq; adeo nō existimat p̄bari, nisi quod iudicio probaris. Et superiore praefatiōe, satis opinor demonstratum est, nullum esse scriptorū genus, quod non alicubi sit subditicijs huiusmodi libris contaminatū. Num illud pium & candidū esse duces, cuius indocto permittere, ut quidlibet inuehat, de prauet quidlibet, non permittere studiosis & eruditis, ut quod suppositū fuerit reijciant, quod uiciatum emendent? Sed illud fortassis exigis, ut hoc autoritate fiat episcoporum. O rem praeposteram. Nō indignantur impostori, qui citra ullius autoritatem uitiauit sacros libros: in eos stomachatur, qui citra totius ecclesiae autoritatem, quae uitata sunt corrigunt. Quāq; nos haud conamur praire principibus ecclesiae, sed illorum occupationes hac nostra qualicūq; adiuuamus opera. Admonemus, non decernimus: indicamus, non iudicamus. Neq; quicquā addubito, quin & illi uel potissimum, sint nostram comprobaturi sententiam. Sed odiosum est, inquit, tot iam saeculis recepta labefactare. At quid olim septuaginta aeditio ne receptius? Nec tamen hanc ueritus est Hieronymus, frustra reclamantibus cum Augustino quibusdā episcopis, sua interpretatione corrigere. Quid illa de septuaginta cellulis fabula decantatus? At non dubitauit Hieronymus rem nulli non creditam, non solum Augustino, mēdacium appellare. An quicq; est hac noui testamenti aeditione uulgatus? At quid decessit de pondere ueritatis euangelicae, quod Laurentius homo rhetoricus, magis q̄ theologus, locos aliquot reprehendit perperam ab interprete redditos? An minore fide iam epistolae Paulinae leguntur, quod earum aeditionem hāc qua uulgo utimur, Iacobus Faber Stapulensis, uir non minus integritate uitae q̄ eruditione probandus, negauit esse Hieronymi, quod Laurentiū imitatus permulta mutauit, uel deprauata, uel male reddita? Qua quidē in re nos quoq; per idem tempus nauabamus operam: ac mire factum est, ut cum uterq; de altero nesciret, tamen ambo rem eādem, eodem moliremur tēpore, etiam si illius anteuertit aeditio. Quae utinam esset eiusmodi, ut nostra quam paramus, prorsus superuacanea uideri possit. Plurimum tribuo Fabro, ut uir non uulgariter erudito; ueneror, ut optimum: faueo, ut amicissimo. Verū si in prophanis rebus Aristoteles, ueritatis potius q̄ amici Platonis rationem habendam esse iudicauit, multo magis id par est facere in his litteris, quas inter sacras habemus, ut ita dicam, sacratissimas. Nec hoc dixerim, quod illius aeditionem minus ap̄ probem, sed ut mihi detur uenia, sicubi uidebor a tāto uiro dissentire. Verū ut ad id quod agitur redeā: quid p̄ximis hisce diebus accidit ecclesiae? Num labascit orbis Christianus, quod Paulus Middelburgus episcopus Forosemprensis, publicū de ratione festi pascalis errorē, libris aeditis coarguit? Quod si tantarum nouatione rerum, non solum non labefactatur ecclesiastica autoritas, uerum etiam constabillitur: quid pauitant ne coelum ruat, si nos ab eruditissimis Hieronymi libris, illitteratas ineptias studiū mus semouere? Atq; utinam quod in epistolarum uoluminibus praestitimus, in ceteris item illius cōmentarijs praestare licuisset. Quod si omnino requirē autoritas: molimur hac multis ac magnis, & his eruditissimis praesulibus, fauentibus, adhortantibus, extimulantibus, nec approbantibus modo, uerum etiam effusissima liberalitate nostram industriam adiuuantibus. Quorum princeps & antesignamus unicus ille studiorum meorum Mœcenas Gulielmus Vuaramus Archiepiscopus Cantuariensis, totius Angliae primas, uir omni litterarū ac uirtutū genere sic absolutus: ut quae uix singula reperias in alijs, in hoc mireris uniuersa, & unus abunde sufficiat ad omnes consummati praesulis dotes, uelut in tabula representandas. Nec alij sane sua laude fraudabuntur. Verum in praesentia non est onerandus longiore praefatiōe lector. Illud modo adijciam, admonitus est iam pridem super hoc nostro labore Leo pontifex modis omnibus maximus, idq; non tantum meis, sed complurium item excellentium uirorum litteris, a quo ceu doctissimo simul & optimo, non illud solum expectamus, ut hos conatus nostros sua comprobet autoritate, uerum etiam ut amplissimis praemijs prosequatur. Verbosius quidem hac fateor, a nobis sunt disputata, q̄ prologorum modus patiatur. Sed nihil non tentauimus, nullum non mouimus lapidem, quo nemini non esset satisfactum, ut alios alia res, uel offendunt, uel placant. Quod si quis adhuc reperietur uel adeo

Stupidus, uel adeo sibi ipsi inimicus, uel ita diutina cōsuetudine corruptus, ut in hisce blateramētis bonas horas uelit male collocare, ne is quidem habebit quod nobis succenseat, quādoquidē per nos habet omnia, quæ superiores additiones complectebantur, eaq; multo q̄ antehac emendatiora. Nonnullis etiā additis, quæ illic non habebantur. Adeo cauimus ne quem offenderemus, ut eruditīs pariter & incruditis, æquis & iniquis, deploratis simul & bonæ spei ingenijs studuerimus morē gerere. Bene uale lector amice, Basileæ. Anno. M. D. XV. Mense Augusto.

CENSURA EPISTOLAE SEQUENTIS.

A Nimaduerte queso lector, q̄ totus sermo iaceat, adeo nō faciendus, ut nec semilatinus. Deinde q̄ nulla felix inuentio. Tum q̄ rara frigidaq; sacrarū testimonia scripturarū. Sentias impudentissimum aliquem rabulam effutientem nō proloquentē, & quicquid in buccam uenerit eblaterantem. Et tamen ausus est homo suauissimus, addito suis nugis Hieronymi nomine, sperare futurum, ut pro Hieronymianis legerentur. Ac uerissime quidē dictum est, nihil tam absurde fieri, quod non reperiatur admiratorem. Non solum leguntur hæc a magnis, ut sibi uidentur Theologis, uerum etiam in grauissimis quæstionibus, uelut oracula citantur.

AD TYRASIVM SVPER MORTE FILIAE CONSOLATIO.

Benedicto & dilectissimo parenti Tyrasio Hieronymus. Charitatis tuæ scripta percepi: in quibus animum tuum dolore commotum de filia dormitione cognoui. Nō aliud principaliter admiratus sum: q̄ Christiani pectoris in te ablata uirtutē fuisse: ut animū flecteres ad dolorem. Stupro murū fidei penetratum uulneribus orbitatis: quē sepius debuerat spes resurrectionis & regni cœlestis. Nunq̄ spes cū dolore cōcordat: nec fides aliquando sentit quācūq; iacturā. Resurgere credimus mortuos & plāgimus: Quid faceremus si mori tantūmodo sine resurrectione p̄ciperet deus? Volūtas eius utiq; sola sufficeret ad solatiū: cui nullū p̄ponere iubemur affectū. Quod dederat, abstulit qui creauerat. Quis est qui plangat quod ad tēpus acceperat? Cōmodauerat ut haberes quantocūq; tēpore uoluisset: ut cū uellet rursus auferret. Nihil abstulit tuum, qui dignatus est recipere propriū. Creditū suum recipere decuit creditorem: & nihil aliud decet q̄ creditori suo gratias agere mutuantem. Sic Iob legimus: quā sequamur deuotissimā uocem. Dominus, inquit, dedit, dñs abstulit: sicut dño placuit, ita factum est: sit nomen dñi benedictū. Parua ergo non erat hæc consolatio cōtra luctum, quod nemo lugere debeat, cum aliquid reddiderit alienū: quia fas non erat apud alium retineri, quod domino suo fuerat necessarium. Additur consolationis alia prouidentia: quæ iaculis orbitatis occurrat. Plangere debuimus de sæculo recedentes, si sæculi inimicitias contra nos minime sentiremus: & plangimus dñi beneficia: qui nouit infirmitati nostræ quid præstet. Periclitari uolebat adhuc qui dolet aliquem dormientem: & inter fluctus uitæ præsentis uidere cupiebat miserū laborare. Talibus ac tātis tempestatibus uitæ, tot impugnationes diaboli, tot corporis bella, tot sæculi clades euasit. Et lachrymas fundis, quasi nescias qd in teip̄o quotidie patiaris. Propter quod admonet dñs apostolos suos dicens: Si diligeretis me, gauderetis, quia uado ad patrem. Plane Laçarum fleuit mortuū, sed non tuas lachrymas fudit. Resurrectionis p̄missor, dolorem docere nō poterat: ne fidem perfidiā faceret quā docebat. Doluit Laçarū non dormientē: sed potius resurgentē: & flebat, quem cogeatur p̄pter saluandos alios ad sæculū reuocare. Hanc uitā dans dñs ingemiscebat, quā tu doles esse sublatam. Contra lachrymas eius pugnant lachrymæ tuæ, & amor tuus amorī eius non cōuenit. Sic fletus non habet pietatē. Ille nolebat reddere laboribus quē dilexerat: & tu amare credebas te, cui laborum uolebas adhuc præstare tormenta. Cæterum si putas eum Laçarum doluisse, ante non permisisset exire, qui repellere potuit mortem. Aut certe non fletet, qui mortuum suscitare postmodum habuerat potestatem. Vnde apparet sola eum causa fuisse cōmorum: quod ad hostilem uitam charissimum reuocare denuo, & propter credituros aliquos & confundendos incredulos urgebatur. Deniq; sic subsecutus est dicens: Ergo pater ut credant, quia tu me misisti, ait clara uoce, Laçare prodi foras. Et factum est. Gaude ergo unde ille coactus est flere, ne tu saltem uidearis dormientis felicitatibus inuidere. Ab alieno mundo propriū transiuit ad dñm: & de hostili patria, migravit ad cœlum. Cōtra sic Apostolus cōmemorat dicēs: Q̄ diu sumus in hoc sæculo peregrinamur a dño. Nō ergo nobis luctum debet incutere quisq; cum a peregrinatione redire meruerit ad ppriam regionem, maxime cū